

simile: in posterioribus verò nascitur; ut, motus circularis corporum cœlestium est causa vitæ sublunarium, dolor nascitur è solutione continui. Sic impropria est, linea est fluxus puncti: propria, linea existit è fluxu puncti. Sic impropriae sunt attributiones, vita bestiae est sanguis; corpus est materia & forma; & vicissim; materia & forma est corpus. Jam si quæras, cur dicatur causaliter, Eclipsis est interpositio &c. at non dicatur causaliter, angelus est Deus? Responderi potest è datâ definitione prædicationis causalis; quia hîc loquendi consuetudo repugnat. Sic rectè dicitur, Deus est omnia, in sensu causali. Prædicatio impropria signata est, in qua signatum de signo prædicatur: ut, circumcisio est fœdus. Huc refer locutiones Sacramentales, quas vocant Theologi. Prædicatio impropria metaphorica est, in quâ disparatum dicitur de disparato propter similem qualitatem: ut, Herodes est vulpes, tyrannus est lupus &c. De prædicatione impropria synecdochicâ vide paulò post. Cæterùm Scholastici quidam has improprias prædicationes vocant extrinsecas & extrinsecus denominantes, quib. opponunt formales seu internas. Vide Titelmannum. Hunnæus prædicationem impropriam vocat prædicationem per concomitantiam, i. e. connexionem seu conjunctionem. Ratio: quia propositio impropria secundum proprietatem sermonis habetur falsa, sed tamen est vera, quia res significata per unum extremum denotatur cum re significatâ per alterum extremum simul existere. Quidam omnes propositiones synecdochicas, quas vocamus in Logicis limitatas, vocant Logicè improprias: ut, homo est immortalis, scil. quoad animam; Christus est mortuus, quoad humanitatem. Deus est passus, *ἡγήσατο*. Verùm hæ non sunt propositiones impropriae Logicè: quia in iis regulariter dicitur de toto, quod ei convenit per & propter unam partem. Sed hæ sunt: Germani sunt bibuli; Cretenses sunt mendaces: quia hîc est crypsis signi particularis. Itaque quædam prædicationes synecdochicæ sunt Logicè impropriae. Ex his efficitur 1. Non omnes prædicationes tropicas esse Logicè improprias, sed tantum quasdam metonymicas & synecdochicas, omnesque metaphoricæ. 2. Improprie Logicas prædicationes esse, cum aliquis horum canonum videtur violatus: Nulla causa est proprie suus effectus; nullus effe-

lus effe-